

## Urkundenbuch der Reichsabtei Hersfeld. Erster Band (Ed. Weirich) Nr. 66

In nomine sanctae et individuae trinitatis. Otto divina favente clementia imperator augustus. Noverit omnium fidelium nostrorum tam presentium quam et futurorum cautela, qualiter nos interventu et petitione dilectae coniectalis nostrae Theophanu coimperatricis augustae pro remedio animae tam nostrae quam eiusdem coniectalis nostrae prenuncupatae nec non et pro salute animae genitoris nostri equivoci videlicet et coimperatoris augusti nostrae proprietatis loca quedam et castella in partibus Sclavonie Niienburg, Dubie et Briechowa dicta in pago Hevellon nuncupato in comitatu Thiedrici marchionis iuxta fluvium Havela dictum sita ad quendam locum Mimeleuo dictum in honore sanctae dei genitricis semperque virginis Mariae cum monachis sub monastica institutione et regula degentibus a nobis nostraque coniectali Theophanu speciali devotione et sumptu inceptum et constructum, ubi idem iam prefatus genitor noster diem sortitus est ultimum, cum burgwardiis et omnibus utensilibus illuc rite pertinentibus in proprium tradidimus, in mancipiis utriusque sexus aedificiis terris cultis et incultis areis vennis silvis venacionibus aquis aquarumve decursibus molendinis piscationibus pratis pascuis campis viis et inviis exitibus et reditibus quesitis et inquirendis et omnibus utilitatibus, quae adhuc dici aliquo modo aut nominari possunt, ea videlicet ratione, ut abbas cum monachis in predicto loco Mimeleuo deo famulantibus liberam inde teneat potestatem tenendi, commutandi seu ad eorum necessaria prout eis visum fuerit constituendi atque disponendi. Et ut haec traditionis nostrae donativa per tempora succedentia anullo umquam divelli vel inquietari possint, hoc nostrae maiestatis preceptum inde conscribi manuque propria subtus notatum sigilli insuper nostri inpressione iussimus sigillari. Signum domni Ottonis invictissimi imperatoris augusti. Hildibaldus episcopus et cancellarius advicem Willigisi archicapellani notavi. Data XII kal. aug. anno dominicae incarnationis DCCCCLXXXI, anno vero regni secundi Ottonis XXI, imperii autem XIII; actum Walahuson.